

XIV.

Eine Urkunde der Stadt Reichthal, Kreis Namslau, aus dem Jahre 1629.

Am 25. Juli 1628 begaben sich die bevollmächtigten Bistums-Administratoren, der Breslauer Archidiakonus Petrus Gebauer und der Breslauer Scholastikus Kaspar Karas im Namen und Auftrag des Bischofs Karl Ferdinand, Prinzen von Polen, nach Reichthal, um gewisse Irrungen in der Stadt selbst und zwischen der Stadt und benachbarten Grundherren zu heben. Am 26. Juli fanden die Verhandlungen statt in Gegenwart des bischöflichen Rates Wilhelm Heinrich von Hohberg und Wiesau, der Brüder Georg und Ernst von Prittwitz und des Karl Haertel in Balnowitz. Es kamen insonderheit 12 Punkte zur Sprache, über welche dann unter dem 5. Januar 1629 seitens der beiden Breslauer Domherren Festsetzungen getroffen wurden. Der Bischof konfirmierte das am 14. November 1637. Von dieser Urkunde von 1629 und ihrer Konfirmation findet sich in dem Reichthaler Magistrats-Archiv ein bischöfliches Transkript vom 21. Februar 1646. Dasselbe besteht aus einem Buche von 8 Pergamentblättern, 35 cm lang und 29 cm breit, im ganzen wohl erhalten; das erste und letzte Blatt ist unbeschrieben. An der Urkunde befindet sich noch das bischöfliche Siegel wohlerhalten. Herr Pastor Gräz in Reichthal hatte die Freundlichkeit, uns eine vollständige Abschrift der Urkunde zur Verfügung zu stellen, aus der wir das Folgende mitteilen:

Et primo quidem nobis relatum fuit in oppido Reichthal aliquos incolas haeretica pravitate infectos reperiri suaequem salutis immemores pastoris legitime vocati ordinati ad gremium sanctae matris ecclesiae quo per haeresin nefarie exciderunt, et ab ovili Christi velut oves morbidae per inobedientiam secesserunt revocantis vocem contemnere ad evangelica salu-

tariaque ipsius monita aures et corda obdurare et in haereditate sua pertinaciter perseverare.

Secundo senatus nobis gravissime conquestus dominos tenutarios ipsos contradicendo impedire quominus sacellum aliquod deo ter Optimo Maximo divaeque Hedwigi patriae nostrae singulari patronae sacrum in fundo proprio erigere valeant.

Tertio humiliter rogarunt, ut curiam in oppido suo libere possint aedificare.

Quarto reperiri plurimos fideles quidem sed eos adeo in amore frigidos in operando remissos et in salute animae suae mediis ab ipso salvatore nostro eius apostolis et alma matre ecclesia saluberrime praescriptis promovenda tam desides magisque ea quae ventris sunt sectantes ut totius hebdomadae spatio in opere manuum consumpto et corporis sustentationi dati dominico festove die ne horulam quidem divinis exercitiis insumere cogitent atque aliis eo tempore in ecclesia christiane congregatis misericordemque deum praeculis suis indignis exorantibus ac verbi divini sementem animis auribusque excipientibus . . . illi in popinis publice vel angulis aliis ad hoc idoneis privatim potationibus comessationibusque ambabus manibus occupati caduca corporis ingluvie bene saginata esuriente et seiuno spiritu mero calidi amore frigidi cum temporalium et aeternorum iactura domum revertuntur.

Quinto parochus Reichthalensis dominum Ernestum a Prettwitz incusavit quod cum octo mansos decimales possideat de sex solum modo ipsi decimas exhiberet.

Sexto gravis apud nos querela deposita fuit laniones ibidem etiam sacro quadragesimali tempore quo ab ecclesia catholica sub peccati lethalis graviore nota quivis carnium esus Christi fidelibus est interdictus eo non obstante nihilo minus lanienam suam impune exercere publice et prohibitas carnium celebrare venditiones quae res ut in loco catholico perpetrata nec scandalo caret nec sine multorum spirituali periculo exercetur.*)

Nos omnibus et singulis hisce intellectis praevia causae

*) Die 6 weiteren Beschwerden betreffen das Recht zweier Jahrmarkte, eines freien Fleischmarktes, Einsetzung eines Bankmeisters für die Fleischerzunft und Uebergriffe des Georg von Prittwitz.

cognitione utraque parte praesente matura deliberatione preehabita querelis et gravaminibus duodecim hisce articulis comprehensis votis omnibus desideratissimum adferre remedium cupientes quantum officii nostri loci causae temporisque tulit ratio sedulo laboravimus eum iustitiae aequitatisque studiose observantes tramitem quo nec nobilibus a Prettwitz in iure suo quicquam preeindicaretur nececontra subditi ultra modum debitum vel praelcriptum in iuribus privilegiis personisque illegitime turbarentur aut preeiudicium aliquod pati cogerentur; non ignorantes eam esse debere officii nostri administratorii quo indigni fungimur curam et sollicitudinem non tam principis nostri clementissimi preedecessorumque eiusdem piae memoriae epis coporum autoritatem quae etiam in contractibus ab ipsis legitime et valide celebratis consistit defendere et conservare sed et subditorum curae nostrae commissorum saluti et utilitati vel promovenda vel adstruenda modis omnibus invigilare quare preammemoratis gravaminibus et obviavimus eademque eo qui sequitur ordine progredientes determinavimus.

Et primum quidem punctum quod attinet, cum omnium sit gravissimum aeternaeque felicitatis contineat dispendium principalem merito obtinuit locum eique posthabitatis aliis omnibus primo loco cogitavimus obiuvandum. In mentem revocantes serenissimum et reverendissimum principem episcopum Vratislaviensem dominum nostrum clementissimum utramque spiritualem et temporalem habere quidem iurisdictionem verum ut animam corpore sic priorem altera esse preecellentiorum.

Quapropter de plenipotentia administrationis nostrae decrevimus et mandavimus tenoreque praelientium decernimus et mandamus consuli senatuique Reichthalensi ut omnibus et singulis sibi subiectis quos damnabilem et execrandam Lutheri Calvini vel alterius cuiuscunq; ab ecclesia catholica Romana extra quam constat nullum posse salvari damnati haeresiarchae vel chismatici haeresin chismave sectantes aut approbantes reppererint serio iniungant graviterque admoneant ut infra initio quintum diem mensis Julii et sacra festa Paschalia anni millesimi sescentesimi vigesimi noni vel haereticam abiurantes pravitatem almaeque matris ecclesiae catholicae Romanae salutiferam fidem et doctrinam eiusdem vere apostolico evangelicam

amplectentes ad mentem redeant vel omni sua substantia in immobilibus ibidem consistente divendita alio migrare domiciliumque suum transferre cogantur; indigni eum in temporalibus et caducis hisce habere principem et defensorem quem in spiritualibus a deo sibi praeordinatum recognoscere nolunt pontificem; quia vero etiam catholicorum quidam salutis suae a deo immemores non nunquam reperiuntur qui totius anni curriculo temporalibus suis emenso civilium seu municipalium legum statutorumque observatores seduli ecclesiastica vero praecepta impune praetereunt etiam sancto Paschali tempore peccata sua toto anno cumulata sacerdoti proprio iuxta salutare ecclesiae praeceptum confiteri omittentes nec sancti corporis et sanguinis Christi cibo animam esurientem reficienes quod cum lethale homineque Christiano et orthodoxo indignum penitus sit factum: Parocho magistratuique Reichthalensi serio praecepimus ut quantum possibile exactam eorum qui sanctissimo illo tempore Christiani hominis officium non praestiterint habeant observationem id quod absque gravi labore vel molestia fieri potest si singuli prout in aliis catholicis orthodoxis beneque ordinatis provinciis practicatur finita confessione a confessario statim sicut et peracta sacra communione a viro senatore vel alio fide digno ad hoc penes altare cum scedula deputato testimonialem scedulam acceperint. Quae ita fieri consueverant signum quoddam verbi gratia pro confitentibus claves geminae ferro qualiter sigilla alia fieri vel sculpi solent inciduntur cum anni illius quidem numero pro communicantibus vero vel sacrae hostiae vel calicis vel utriusque formula.

Eaeque chartulae in primuntur digitii unius forte latitudinis et oblongae eiusdem mensurae cui amplius nihil adscribere est necesse, singulis vero annis ob numerum annorum crescentem aliud sculpi est necesse. Finitis tandem Paschalibus festis qui tales scedulas non habere fuerit deprehensus neque confessus neque communicatus fuisse iudicabitur si legitimum non haberit impedimentum tam diu in carcere aliquo detinebitur donec saluberrimum hoc sacrae poenitentiae apprehenderit remedium ac in ecclesia sanctae eucharistiae sacramento fuerit refectus. Feminis vero honestioribusque civibus si carcerem nummis redimere velint, pecuniaria imponi poterit poena ecclesiae

illius loci applicanda neque liberos civium qui ex pracepto iam tenentur ab hac lege volumus esse exemptos. Familiam vero reliquam quae pro mercede servit nec huius est iuris dictionis ad similiter faciendum pius pater familias in deo adhortabitur; magistratus tandem officium erit post octavam Paschae hominum scedula recipere et non habentes ut ante dictum est coercere ut quos ad oboedientiam almae matris ecclesiae non movet autoritas poenae constitutae compellat severitas.

Jura denique municipii quae vulgari idiomate germanico Bürgerrecht appellamus nulli nisi catholico priusque confessio atque communicatio ex hoc nunc et usque in perpetuum conserui volumus quod si secus factum fuerit unquam consul ac eius adcessores praeter officii privationem poenis condignis se noverint ipso facto fore subiectos.

Secundo quod attinet querelarum punctum piis ipsorum votis et desideriis in fundo proprias cellum deo ter optimo maximo in honorem sanctae Hedwigis quendam ducissae dum viveret nunc vero post beatissimum ex hoc mundo abitum patronae singularis Silesiae quantum in nostra est potestate ut aedificant nempe absque nobiliu contradictione et erigant libertatem facimus modo tam en legitimo et sacris canonibus praescripto neve per hoc aliis ecclesiis grave adferratur praeiudicium dotem demum fabricae illi assignent condignam.

Tertio similiter et curiem seu domum senatoriam usibus et conventibus publicis de more aliorum municipiorum destinatam in oppido suo extruere dudum iam indulsimus et tenore praesentium denuo indulgemus.

Quarto qui dominicis festis diebus tempore quo divini verbi ad populum fit sermo in loco et angulis consuetis commessionibus aut vini adusti vel aliis potationibus imposterum indulgere fuerit deprehensus aut grossis albis quindecim una cum vendente sive hospite propinante multabitur aut per triduum in carcerem conicietur; sique tribus diversis vicibus quis huiusmodi conventicula tali tempore admittere et fovere notabitur totius vini adusti mulsi vel alterius liquoris oblatione punietur et carcerem detrudetur; ordinabatur autem a magistratu homines ad hoc idonei qui sedulam et fidelem in eo collocent operam ut huiusmodi bibulus et adustos fratres in

altibus illis pro neglecto Christiani hominis officio ventris gratia se contulerunt valeant aucupari statim habito secum lictore ad carcerae una cum propinatore ducere in quorum postea erit arbitrio aut grossos quindecim solvere aut triduanorum carcerum molestiam sustinere; cuius poenae pecuniariae pars tertia usibus publicis destinabitur et sic quos hactenus ad templi frequentiam propria non adegit devotio poenae timor et impedita latibulorum fortassis ire cogit occasio.

Quinto nobilis dominus Ernestus a Prettwitz praetendit se hactenus a domino parocho quod de octo mansis decimas ipsi solvere cogeretur monitum non fuisse in posterum vero se sine omni contradictione de totidem mansis decimam debitam libenter soluturum.

Sexto consuli senatoribusque ibidem severissime praecipimus ut sedulo curent ne sacro quadragesimai tempore ullus lanionum aut alius quispiam carnes publice privati me venales habere praesumat. Quod si habita semper diligenti investigatione quis contra fecisse fuerit deprehensus praeter carnium ablationem etiam ad tempus carcerabitur sicut et illi quos eo tempore contra sanctae matris ecclesiae praeceptum eisdem carnibus vesci constiterit nisi tamen notaria ipso met excusabiles faciat infirmitas vel alia naturae corporis debilitas; quibus tamen in casibus parochi licentiam necesse erit impetrare quam si ipsis necessariam indicaverit gratis elargietur.